judiciò sistat. Quare monendi sunt Exorcistæ, ut histerminis abstineant. Quia lis non intentatur cum dæmone, nec exorcista est eius judex. Ita *Delrius l. disquis. magic. post l. 6. in anacephaloseos monitione* 10.

35 Ex dictis potest colligi, quando exorcistæ superstitiosi sint. Sed aliqua sunt, quæ ipsos valde suspectos reddunt de superstitione, ac pacto cum dæmone. Primum est, si laici, aut clerici sola prima tonsura insignti exorcizandi munus quasi ex officio, aut peculiari Dei privilegio sibi usurpent. Quia cum id privilegium non ostendant, & certum sit id munus illis ex officio non competere, suspecti valde sunt. Ita *Delrius num. prec.* alleg. II. est, si quis clericus aut Religiosus quasi peculiare sibi vendicet plus virtutis ad Dæmones exorcismis expellendos sibi inesse quàm cæteris ejusdem ordinis. Quia, cum contrarium sit verum, ut diximus *nu.* 18. hi sunt clarè mendaces, nisi peculiare Dei privilegium ostendant. Et ita docent *Delrius ibidem*, & *Ciruelo de superst.* 3. *p. c.* 8. At benè concedendum est aliquos majori dexteritate præditos esse ad exorcismos contra dæmones adhibendum; meliusque nosse, quo pacto dæmones in energumenis tractandi sint. Tertium est, si peculiaribus exorcizandi formulis, & ritibus diversis à communibus Ecclesiæ utantur. Ita *Delrius*, & *Ciruelo ibid.* Quartum est, si vocibus ignotis utantur, quas solis dæmoniacis ad aures dicunt. Quia adhibere nomina ignota, & modus clam dicendi, eos meritò suspectos reddunt. Ut in simili diximus *hoc eodem lib. cap.* 40. *n.* 9. & 22.

36 Tandem circa dæmonis adjurationem dubitatur, an liceat exorcistis connivere petitioni dæmonis ab obsessi corpore egressuri? Breviter dicendum est, licitum esse connivere, quando rem iniquam non petit; eò quòd ea nec contra Dei honorem, nec contra proximi utilitatem sit. Ut si petat non relegari in infernum, aut novis malis non afiici. Id enim non est aliquid tamquam amico concedere, eive placere velle, sed ut faciliùs à corpore obsesso egredi cogatur. Et ita docet *Thyræus de dæmoniacis c. ult. à nu.* 1. *usque ad* 8. Si tamen dæmon petat ad alium hominem transire; aut eum vexare; regulariter, & ferè semper, illicitum est connivere. Quia est in proximi damnum. At id liceret quadruplici concurrente conditione. Prima est, ut is, quem dæmon possessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. Secunda, ut adjurans habeat jus, & imperium in eum, quem dæmoni traditurus est, atque potestatem in ipsum dæmonem, summumque jus ad ipsum expellendum, quandocumque libuerit. Tertia est, ut adsit boni majoris spes. Quia scilicet speratur, fore, ut hac ratione proximus juvetur, qui aliis rationibus juvari posse non videbatur. Quarta est, ut absit voluntas placendi dæmoni, sed id tantùm fiat ad utendum ipso tamquam lictore, & carnifice. Ita docet *Thyræus eo c. ult. à n.* 8. *usque ad* 14. Tandem etsi integrum sit, in prædictis connivere dæmonis petitioni; at non tenetur ad id exorcista. Ut benè docet *Thyræus ibi*, *in fine*.

37 Septima conclusio. Adjurare creaturas non rationales fructibus nocentes, ut locustas, pulgon, nubes, &c. dirigendo sermonem ad ipsa, quasi ipsæ se moveant, & ex se efficiant nobis adversa, est vanum. Quòd nec ipsæ movere se valeant ex intentione ad nocendum; ut evenit in animalibus irrationalibus; aut nullo modo se moveant, ut evenit in nubibus, & tempestatibus, nec omnia hæc adjurationis percipiendæ capacia sint. At integrum est ea omnia adjurare, quatenus ab alio moventur ad nocendum nobis. Cum ergo possint, & à Deo, & à dæmone ad id moveri; quando moventur à Deo, adjuranda sunt deprecando Deum, ut id malum avertat; quando vero à dæmone, imperando illi ne moveat, sed nocere desistat. Ita *D. Them.* 2. 2. *qu.*90. *art.*3. ab omnibus receptus. Adjurare autem hæc priori modo, ait *Nav. libr.* 5. *cons. tit. de sententia excomm. in* 1. *edit. cons.* 5. *n.*10. *in* 2. *cons.* 2. *n.* 10. esse mortale. Quia non est res levis, sed est quasi ridiculos facere exorcismos Ecclesiæ. Et videntur favere *Ang. verb. adjuratio in fin.* & *ita Tabiena in fine*, dicunt enim adjurationem illicitam esse ex se, sive ex genere suo mortalem. Sed re vera non favent, quia ad hoc satis est, ut intra suam speciem possit esse quandoque mortalis, & cum hoc stat in hoc casu eam esse venialem ratione levitatis materiæ. Quod plus mihi placet, quia est sola vanitas quædam, nec animus sic adjurantis est ridiculos facere exorcismos, eosve contemnere. Atque ita docent *Sylv. verbo adjuratio in fine*, & *ibi Tabiena n. ult. conclus.* 11. *Margarita Confessorum in* 1. *præcepto f.* 63. *Suar. tom.*2. *de relig. l.*4. *de adjurat. c.*4. *n.*12. *in fine*. Quia tamen nobis non constat, an à Deo, an à dæmone moveantur, utitur Ecclesia utriusque exorcismis, nempe orando Deum, & imperando dæmoni.

38 Quare etsi in exorcismis quandoque verba adjurationis ad ipsasmet creaturas irrationales dirigantur, non est intentio dirigendi, quasi ipsæ adjurationi connivere debeant, avertendo malum; sed verè adjuratio ad motorem dirigitur, ad ipsas autem aliquo modo, utpote in quibus recipitur illa operatio, seu effectus, nobis adversus, quem per adjurationem avertere conamur. Ita *Val.* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 8. *puncto* 2. *ad fin.*

39 Ultima conclusio. Superstitiosum, & vanum est, quod quidam irrationalium horum adjuratores admiscere solent. Quandoque enim se judices constituunt ad dirimendam litem inter hæc irrationalia, & plebem, cui nocent; instituuntque accusatorem, & advocatum, & irrationalium procuratorem, & dant accusationis copiam, audiuntque procuratoris defensionem; ac tandem utriusque partis rationibus auditis sententiam proferunt. Quippe si lis contra irrationalia intentetur, sunt litis, & sententiæ percipiendorum incapacia. Et si adversùs dæmones, à quibus moventur, nil refert illos accusare, aut defendere. Atque ita docent *Sotus l.*5. *de just. q.* 12. *art.*2. *in fin.* & *l.*8. *q.*3. *art.*3. *in fin. Nav. l.*5. *consil. tit. de sentent. excomm. in* 1. *edit. toto cons.*5. *in* 2. *toto consil.*2. ubi latissimè consutat *Chassanæum cons.*1. *nu.*124. & *sequent.* qui hæc defendit, *Ciruelo de superst.* 3. *p. c.*10. *Valentia eo punct.*2. *in fin. Delrius l.* 5. *disquisit. magic. p.* 2. *q.*4. *sect.* 8. *pag.*2. & *post l.*6. *in Anacephaloseos*, *monitione* 11. Quare malè *Anonymus tract.*2. *de exorcismis*, *paulo post medium*, fieri consuluit, & docet. Sunt etiam superstitiosi, qui dum hæc adjurant, pugnare contendunt cum nubibus, & locustis, &c. Quia eam pugnam nil conferre manifestum est. Ita *Sotus eo lio.*8. *qu.*3. *art.*3. *in fine*. Superstitiosi quoque sunt hæc excommunicantes. Quia excommunicationis incapacia sunt. Ita *Sotus utroque loco*, & *Navarr.* proximè allegat. *Idem Navarr. summ. c.*27. *n.* 13. *Suarez tomo* 5. *in* 3. *p. disputat.*5. *sect.*1. *in fine*, *Manuel* 1. *tomo summ. in* 2. *edit. c.*78. *in fine*, *Enriquez l.*13. *de excomm. c.*25. *n.*1. Nec obstat, ajunt *Navarr. eod. cons. n.*12. & *Manuel eo n.*78. sæpè hæc sententiæ obedire, ac nocere desinere; quia id non proficiscitur ex virtute sententiæ, sed ex potestate dæmonis auferentis ea animalia nocentia; ut vel sic vana hæc, & superstitiosa hominibus persuadeat.

40 Tandem superstitiosi sunt, & virtute pacti cum dæmone id efficiunt, quia jactitant se habere potestatem; nubes, ac reliqua frugibus contraria, ex certo loco expellendi. Quia si dicant esse supernaturalem, tenentur eam probare. Ut diximus *hoc lib. c.* 40. *n.* 44. Si naturalem, ea vis nulli inesse. Nam si hæc avertere valent, cur non incendia, & alia nocentia? Cur etiam nequeunt bona adducere, ut pluviam tempore siccitatis? Quibus, & aliis rationibus hoc optimè probat *Delrius de disquisit. magic. post lib.* 6. *in Anacephaloseos*, *monitione* 11.

CAPUT XLIII.

De licito Reliquiarum Sanctorum usu.

SUMMARIUM.

*Reliquiæ Sanctorum venerandæ sunt. Et quo cultu? n.*1.
Quid nomine reliquiarum intelligatur? Et an conversa in cineres, & vermes adorandæ sint? n. 2.
Cultus publicus quis sit? Et an soli Sancto canonizato sit exhibendus? n. 3.
Cultus privatus an possit Sancto non canonizato exhiberi? numero 4.
*Explicatur quos cultus liceat, & quos non liceat Sancto non canonizato deferre à n.*5. *usque ad* 8.
Et quid sit altare alicui Sancto dedicare? n. 7.
An possit Episcopus instituere festum Sancti non canonizati? numero 9.
An possit Episcopus ex facultate Tridentini Sancti alicujus antiqui nondum canonizati reliquias approbare, ut publicè venerentur? num. 10.
*An sufficiat traditio, aut communis Ecclesiæ consensus illum Sanctum reputantis? n.*11.
An possit, si ea mixta sint cum reliquiis Sancti canonizati? numero 12.
Qualis certitudo reliquiarum Sancti canonizati desideretur, ut privatim, & absque conditione venerentur? n. 13.
*Qualis certitudo, ut publicè, & absque conditione venerentur? Et an possit Episcopus ab hoc illas approbare? n.*14.
*An possit extra suam diœcesim id facere? eod. n.*14.
*Quam diligentiam teneatur adhibere ad hoc? Et an solus ipse habeat votum decisivum? n.*15.
*An subortæ quæstione sit opus Concilio Provinciali, & teneatur sequi suffragia majoris partis? n.*16.
*Qualiter Crux reliquiarum in altari collocetur, antequam illæ sint per Episcopum approbatæ? n.*17.
Reliquiæ Romæ allatæ cum Bulla Apostolica, aut aliunde cum sufficienti testimonio an sint necessario, ut publicè collocentur approbandæ ab Episcopo, & exigatur diligentia in Tridentina præscripta? n. 18.
*Quando reliquiæ sunt dubiæ, quid faciendum? n.*19.
*An liceat reliquias in collo gestare, & sit specialis malitia tunc fornicari? Et qualis culpa sit, falsas reliquias proponere? Remissivè, num.*20.
*An reliquiæ possint extra capsam ostendi? n.*21.
An liceat eas venales, aut causa quæstus exponere? Et quando sic exponi dicantur? n. 22.
*An liceat reliquias furtivè subtrahere? n.*23.
An sint hi excommunicati? n. 24.
*An si sepultæ sint, liceat eos alio transferre? n.*25.
An liceat laico eas tangere? n. 26. *Et ibi an clericis minorum ordinum liceat eas in processionibus portare?*
An liceat laicis, vel clericis minorum ordinum agnos Dei tangere? num. 27.
*An liceat agnos Dei depingere? n.*28.
An liceat eos vendere? n. 29.

1 Quia

1 Quia debitus reliquiarum usus ad Dei, & Sanctorum cultum pertinet, ideò in hoc primo præcepto, quod de Dei, & Sanctorum cultu est, institui in hoc ultimo capite, de licito reliquiarum usu aliqua tractare. Quæ brevi quibusdam difficultatibus propositis explicabo. Et præmittendum est, pium esse, ac Sanctum reliquias Sanctorum venerari. Quod est de fide, & latissimè contra hæreticos defendunt ex Neotericis *Bellarminus l.*1. *de Sanctis c.*1. *usque ad* 4. *Azor. tom.* 1. *l.*9. *instit. moral. c.*8. *à qu.*1. *usque ad* 4. & *c.*10. *à qu.* 6. *usque ad nonum*, *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.*11. *toto punct.* 6. *Suarez tom.*1. *in* 3. *p. q.*25. *art.* 6. *disput.* 55. *Vasquez de adoratione imaginum*, *lib.* 3. *disp.* 3. *à num.*78. *per plures*. Qui optimè probant eumdem cultum illis exhibendum, qui sanctis ipsis, quarum sunt, debetur.

2 Intelliguntur autem reliquiarum nomine, ipsa sanctorum corpora, & quælibet corporum particulæ, sive ossium, sive carnium, capilli, ungues, dentes, cineres, aut pulveres, in quæ conversa sunt, & alia, quibus tempore vitæ usi sunt, & vela, panni, & alia, quæ ad eorum corpora, vel ossa admoventur, vel quæ ipsa tetigere, ad ipsam pertinent: ut benè tradit *Azor. l.*9. *inst. moral. c.*8. *qu.*1. Quòd si quæras, cur cineres, aut pulveres, in quæ ea corpora convertuntur, adorentur; non autem vermes, qui ex ipsis corporibus Sanctorum fiunt, cum utrobique sola Sanctorum materia prima superstit? Optimam hujus rationem tradunt *Vasquez de adoratione imagin. l.*3. *disp.*3. *c.*8. *n.*124. & *Suarez* 1. *tom. in* 3. *p. disp.* 55. *sect.*1. *in fine*, quia quod in reliquiis manet, solùm adoratur propter habitudinem ad personam, cujus reliquiæ fuerunt, quæ est relatio rationis, seu moralis quædam dignitas, in quantum commodè, & decenter in illis apprehenditur ipse sanctus, ut adorabilis. Quare cum ad eum statum perveniunt, ut adoratio indecens sit, nec in illis decenter apprehendatur sanctus, cessat earum adoratio. Quod contingit, quod sunt in vermes transmutatæ. Addit tamen benè *Vasquez*, etsi recta intentione, & sincera fide possit quis in vermibus sanctum apprehendere, & venerari; at publicè proponere eos vermes adorandos non licere.

3 Prima ergo difficultas sit. An attento jure communi reliquiæ viri nondum in sanctorum numerum à Papa cooptati possint adorari? Breviter sic distinguendum est, si de publico, & solemni cultu loquamur, solius sancti à Papa in sanctorum numerum relati idest, *canonizado*, reliquiæ venerari possunt. Quod constat ex *c.*1. & *c. finali*, *de reliqu.* & *vener. sanct.* Et fatentur omnes. Dicitur autem publicus, & solemnis cultus, non eò quòd coram aliis exhibeatur; sed ille qui totius Ecclesiæ nomine, & tamquam ab ea institutus exhibetur. Ut benè ait *Bellarminus lib.*1. *de sanctis c.*10. Et specialiùs constabenè ait *Bellarminus lib.*1. *de sanctis c.*10. Et specialiùs constabit ex dicendis *à nu.*5. *usque ad* 9. ubi explicabitur quis dicatur cultus privatus, qui potest deferri sancto nondum canonizato.

4 Cultus autem privatus deferri potest nondum in sanctorum numero à Papa adscripto, ejusque reliquiis. Constat ex *d. c. finali*, ubi hujusmodi sanctum publicè honorari interdicitur. Quare à contrario sensu privatus honos permittitur. Atque ita docent *ibi Anton. n.*6. *Abb. n.*3. *Card. notab.*4. *Anchar.* *n.*2. *Innoc. c.*1. *eod. tit. in fin. ubi Host. in fin. Joann. Andr. num.*6. *Glossa c. unic. verb. Sedis*, *de reliq.* & *vener. sanct. in* 6. *Sylv. verb. Reliquiæ*, *in initio*, ubi & reliqui Summistæ, *Bellar. n. preced.* alleg. *Azor. tom.*1. *l.*9. *instit. moral. c.*8. *q.*8.

5 Hinc deducitur, licere hujusmodi virum credere, & vocare sanctum, ac ipsum invocare, etiam aliis audientibus. Sicut fecere *D. Gregorius Nazianzenus* in vita D. Athanasii, & D. Basilii, & *D. Hieronym.* in vita D. Paulæ, antequam essent canonizati. Et constat, quia oramus viventes, quamvis eos sanctos esse nos lateat. Cur ergo non licebit defunctos orare, quos majori ratione sanctos esse confidimus? At non liceret eum prædicare tamquam sanctum, in sanctorum catalogo à Pontifice inscriptum. Nec liceret etiam in publicis litantiis, & sacro officio eum invocare. Quia est cultus publicus, & nomine totius Ecclesiæ institutus. Hæc docet *Bellarm. n.*3. alleg. Quod intelligo non tantùm, quando litaniæ publicè recitantur, sed etiam quando privatim. Sicut de officio canonico dicendum est. Quia re vera is cultus est ab Ecclesia institutus tamquam publicus, & solemnis nomine ipsius delatus. Quare solis sanctis canonizatis competit.

6 Secundo deducitur, licitum quoque esse imaginem ejus pingere, & venerari: non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum sanctorum imagines. Ita *Bellarm. ibidem*. At prius videtur, etiamsi cum radiis, & diademate pingatur, dummodo non in publico loco adoranda proponatur. Quia id pertinet ad cultum publicum. Et quamvis ea pictura ex usus accommodatione sit sancti canonizati; at cum privatim habenda tantùm pingatur, ea pictura non pertinet ad cultum publicum. At id non audeo affirmare. Posterius autem videtur, quando in templo constituitur instar sancti canonizati, ut ab omnibus colatur. Quod etiam constat ex *Trid. sess.*25. *in initio*, *decreto de invocatione*, *&c. ad fin.* ubi interdicitur insolitam ponere imaginem absque Episcopi approbatione. Neque Episcopus eam licentiam concedere potest, nisi sanctus canonizatus sit. Ut dicam *n.*10. Ut liceret hæc ex Summi Pontificis permissione id scientis, & tacentis. Quod aliquando fieri solet, cum de alicujus sancti canonizatione tractatur. At licet simul ponere imaginem alicujus depictam cum imagine sancti canonizati, in memoriam beneficii ab illo recepti; vel ad ornatum alterius simul cum aliis imaginibus. Juxta ea, quæ *n.*17. dicam.

7 Tertiò deducitur, nec in altari domus privatæ licere eam imaginem sancti non canonizati tenere, si sola in eo sit, & cum lampade. Ita *Philiarc. de offic. sacerd. tom.*1. *p.* 2. *lib.*3. *c.*9. *in fine*. Et favet *Trident. n. prec.* citatum prohibens ullo in loco, vel Ecclesia ullam insolitam ponere imaginem. Sed contrarium videtur. Quia id ad cultum privatum pertinet. Et *Tridentinum* de loco publico videtur intelligendum. Nam experientia testatur in altari domus privatæ sæpè reliquas venerandas exponi non approbatas ab Episcopo; sed non audeo affirmare id licere. Non tamen licet in honorem sancti non canonizati altaria dedicare. Quod benè docet *Bellarm. nu.*3. relatus. Altare autem dedicare non est in eo imaginem sancti constituere; sed tempore consecrationis altaris id illi sancto dedicare. Ut constat ex Pontificalibus Romanis antiquis, & hoc ultimo Clem. VIII. ubi in litaniis consecrationis altaris ter repetitur: *Ut hoc altare ad honorem tuum*, & *sancti N. consecrandum*, &c. Et quinquies Episcopus signat altare dicens: *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei*, *&c.* & *ad memoriam*, & *honorem sancti N.* Et in sepulchro hujus altaris ponuntur hæc verba: *Ego N. Episcopus consecravi altare hoc in honorem sancti N.* Quorum verborum meminit *Abb. c.*1. *nu.*2. *de consecrat. altar. Sylvest. verb. Altare*, *n.*1. Nec licet in honorem ejus templa, & sacrificia instituere, nec reliquias ejus publicè in templo venerandas exhibere. Quia hæc sunt propria sancti canonizati. Ut benè docet *Bellarm. ibidem*, qui benè addit licere ejus mortui vestes, vel frustulum sumere, ac manus, & pedes osculari, etiam aliis videntibus, dummodo scandalum absit. Quia licet hoc modo viventes, quos credimus sanctos, venerari. De reliquiis verò in altari privato collocandis idem sentio, quod de imagine ejus dixi.

8 Quarto deducitur, non licere ei publicum festum instituere. At licet alicui in natali ejus à servilibus se abstinere, & vacare Deo in ejus memoriam. Quia prius ad cultum publicum, posterius autem ad privatum spectat. Hocque sancti veteres fecere. Ut constat ex *Cassian. collatione* 19. *c.*1. Prius docet *Suar. tom.*1. *de relig. l.*2. *de festis*, *c.*11. *n.*5. & utrumque docet *Bellarm. eod. c.*10. Idem intelligo de jejunio, & voto. Publicum enim jejunium in memoriam ejus induci nequit; nec publicum votum ei offerri: quale esset, quod totus populus ei offerre vellet. Quippe hæc ad publicum cultum pertinent. At posset privatus in memoriam ejus jejunare, aut ei votum offerre, sicut de festo servando diximus; & hoc etiam aliis scientibus, dummodo scandalum absit. Ut in simili diximus *num. praced.*

9 Quintò deducitur, quo pacto intelligantur *c. fin. de feriis*, & *c.*1. *de consec. d.* 3. permittentia Episcopo diem festum instituere. Quamvis enim *Vincentius* Doctor quidam antiquus voluerit ea intelligi, etsi sanctus non sit canonizatus; ac per hæc dicit corrigi *c.*1. *de relig.* & *vener. sanct.* reservans Pontifici cultum sancti non canonizati. At eum reprehenderunt jure optimo *Glossa eo c.*1. *verb. Festivitates*, & *ibi Hostiens. n.*8. *Joann. Andr. n.*6. *Gloss. cap. unico*, *verb. Sedis*, *de reliq.* & *vener. sanct. in* 6. *ubi Dominic. n.*12. *Franc. n.*3. *Innoc. c. fin. nu.*1. *verb. Solemniter*, *de feriis*, & *ibi Jo. Andr. n.*8. *Ant. n.*4. *Abb. n.*4. *Imola n.*3. *Troilus de canonizatione sanctorum*, *dub.*2. *n.*12. *D. Anton.* 2. *p. tit.*9. *c.*7. *in princ. Sylvest. verb. Dominica*, *qu.*1. *dict.* 1. Quare dicunt eos textus permittentes Episcopo festum diem alicujus sancti in sua diœcesi instituere, intelligi debere de sancto ab Ecclesia in sanctorum numerum cooptato. Aliam limitationem ponam *n.* 11.

10 Secunda difficultas est. An attento decreto *Trid. sess.*25. statim in principio, in decreto *de invocatione*, *veneratione*, & *reliquiis sanctorum*, ad finem, liceat Episcopo approbare reliquias sancti antiqui nondum canonizati, atque eas publicè venerandas exponere? Videtur enim id posse. Quia quando certum erat sanctum esse canonizatum, licebat jure communi Episcopo ejus reliquias approbare, ac publicè venerandas proponere. Ut benè docent *Abb. c. finali*, *ad fin. de reliqu.* & *vener. sanct. Graffis* 2. *p. decis. l.*2. *c.* 4. *n.*9. Ergo dum *Tridentinum* concedit Episcopo privilegium reliquias de novo inventas approbandi, intelligit de reliquiis sancti non canonizati. Quia alias frustraneum esset privilegium, utpote quod nil concederet. Cum tamen verba privilegii debeant necessario aliquid operari, *c. Si Papa* 10. *vers. Si autem*, *de privileg. in* 6. At omnino tenendum est, solas reliquias sancti canonizati posse Episcopum approbare, ut publicè venerentur. Ducor primò ex ratione generali, quòd correctio juris omnino in quantum fieri possit, vitanda sit, etiamsi ob id verba improprientur. Ut probavi *l.* 1. *de matrim. disp.*17. *num.*6. Quod maximè procedit in decretis Concilii generalis, de quibus oportet mentionem specificam fieri in clausula derogatoria, ut eis derogatum censeatur. Ut probavi *l.*3. *de matrim. disp.*26. *nu.*7. Cum ergo in prædicto Tridentini decreto nulla in clausula derogatoria, dicendum non est per illud derogari decreto Concilii generalis Lateranensis, ex quo desumptum est *c. finale*, *de relig.* & *vener. sanct.* statuens, ut reliquiæ denuo repertæ non adorentur publicè absque Summi Pontificis licentia. Sed utrumque decretum ad concordiam redigendum est, ut hoc intelligatur, quando sunt reliquiæ sancti non canonizati; illud autem, quando non sunt canonizati. Secundo, quia decreta posteriora, quando prioribus expressè non adversantur, sunt per priora corrigenda, determinanda, & supplenda, quò legum correctio vitetur. Ut expressè decidit *l. Sed & posteriores* 28. *juncta Glossa verb. Pertinent ff. de legibus*. At nemo dicet ita decretum Tridentini opponi decreto priori Concilii Lateranensis, ut juxta illud intelligi, per

per illudque suppleri, & declarari nequeat, ut intelligatur de reliquiis sancti canonizati. Tandem, quia Tridentinum in eo decreto in proœmia profitetur se velle, ut in reliquiarum veneratione stetur usu Ecclesiæ, & Conciliorum decretis; & dum committit Episcopis reliquiarum approbationem, sic incipit: *Hæc ut serventur, statuit sancta synodus, &c.* Nec in fine aliquam clausulam derogatoriam apponit, ut quando vult derogare, solent apponere. Ut constat ex *eod. Concilio, sess. 7. c. 10. de reform. & sess. 23. c. 10. de reform.* & ex multis aliis locis. Signum ergo est, nullius Concilii Generalis decretis velle derogare, sed potiùs ea integrè velle custodiri. Quare decretum Tridentini nullum privilegium Episcopis concessit, sed solam formam ab eo servandam in approbandis reliquiis noviter inventis reddidit, quam *n. 15. & 16.* explicabimus. Et sic docent *Suarez. to. 1. in 3. p. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. Sed quæret aliquis, Philiarcus de offic. sacerd. to. 1. p. 2. l. 3. c. 9. ad fin. Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 8. q. 8.*

11 Sufficeret tamen, ut de sanctitate personæ per traditionem, aut universalem Ecclesiæ consensum constare. Quia hæc canonizationi æquipollent. Et ita docet *Suarez num. prac.* alleg. Et ita debet intelligi *Host. c. fin. n. 9. de reliqu. & vener. sanctorum*, ubi dicit ideò eum textum dicere solius Pontificis esse reliquias de non inventas approbare. Quia si inveniretur cum ipsis scriptura testans esse alicujus sancti antiquitus approbati, possent Pontifice inconsulto venerari. Et idem *Hostiens. c. 11. eod. tit. n. 8. & ibi Joannes Andr. n. 6.* ubi ajunt posse Episcopum diem festum sancti instituere, modò antiquitus sanctus ille approbatus esset. Et reddit rationem *Hostiens.* eò quòd antiquitus non servabatur solemnitas canonzationis, quæ modò est in usu. Sed utrumque dictum intelligendum est juxta doctrinam proximè traditam, quando sanctus ille antiqua Ecclesiæ traditione, aut universali ipsius consensu approbatus est.

12 Posset tamen hæc quispiam limitare, nisi reliquiæ sancti non canonizati ita essent permixtæ cum reliquiis sancti canonizati; ut discerni non valeant; tunc enim videtur posse Episcopum omnes illas approbare, ac publicè adorandas proponere ratione connexionis. Quia dignus trahit ad se minus dignum. Qua ratione oleum non consecratum admixtum consecrato remanet consecratum, *c. Quod in dubiis 3. de consecr. Eccles. juncta Gloss. ibi, verb. Consecrato*, & communi Doctorum sententia. Et potest confirmari, quia etsi excommunicati corpus in loco sacro sepultum exhumandum sit; at ubi discerni nequit à cæterorum fidelium corporibus, ab exhumatione abstinendum est, *c. Sacris 12. de sepult. ibi Gloss. verb. Excommunicatorum*, & cum ea Doctores ajunt id provenire causa connexionis, & impossibilis separationis, juxta *c. Denique q. 5.* Sed dicendum est non posse. Quia *c. Quod in dubiis*, procedit in solis liquoribus. Ut docent *Anton. c. 1. nu. 11. de consecr. Eccles. & ibi Abb. in fin.* Et præterea desideratur, ut liquor consecratus mixtus sit in majori quantitate, juxta communem sententiam. At in præsenti latitat nos, quarum reliquiarum quantitas excedat. Nec *c. Sacris*, probat omnes illas reliquias ob connexionem venerandas esse. Sicut si constaret inter eas esse reliquias hominis perversi, non essent ob connexionem omnes venerandæ, sed adoratio ferenda esset ad eas solas, quæ sunt sancti. Quare solùm probat non esse reliquias eas conculcandas, & temnendas, sed custodiendas separatim in loco decenti. Sicut de reliquiis dubiis dicemus *n. 19.*

13 Tertia difficultas est. Qualis certitudo veritatis reliquiarum sancti canonizati desideretur, ut venerari possint? Et quidem si loquamur de cultu privato, satis est privatum testimonium virorum fide dignorum, vel alia ratio, & conjectura ita probabilis, ut sufficiens sit ad prudenter judicandum ita esse. Ita docet *Suarez 1. tom. in 3. p. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. At verò ut reliquiæ*. Quod idem tenent *Vasq. de adoratione imaginum, l. 3. disp. 3. c. 8. n. 114.* ubi ait sufficere humanas conjecturas: & quamvis addat & rationes certas, intelligit de certitudine morali, qualis ex iis humanis conjecturis habetur. Sed clariùs *Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 8. n. 8.* dicens satis esse ad privatam venerationem, si vir pius, & fide dignus reliquias tradiderit. Atque idem sufficit, ut prædictæ reliquiæ, absolutè, & absque aliqua conditione venerentur privatim. Quia in rebus moralibus non est petenda major certitudo, quàm ad exercendos alios virtutis actus; & nullum formalis erroris periculum adest. Cum ratio formalis venerationis sit ipsa sanctitas; etsi aliquando materialiter erretur. Atque ita docet optimè *Suarez* proximè relatus. Atque idem prorsus dicendum est de reliquiis sancti non canonizati. Sufficit enim, ut privatim adorentur, si prædicta moralis certitudo sanctitatis illius viri, ac veritatis ejus reliquiarum habeatur. Quia eadem est ratio.

14 Si autem de publico loquamur, videtur id esse solius Summi Pontificis, ita ut nullus alius possit reliquias sancti etiam canonizati venerandas publicè proponere, atque ad id approbare. Quia *c. fin. de reliquiis, & vener. sanct.* generaliter, & indefinitè traditur reliquias de novo inventas venerari non posse absque Papæ auctoritate. Nec obstat *Trid. sess. 25. in princ.* in decreto *de invocatione, veneratione, & reliquiis sanctorum, ad finem*, videri id concedi Episcopis. Quia solùm *ibi* decernitur reliquias novas recipiendas non esse, nisi recognoscente, & approbante Episcopo; ubi nil videtur concedi; cum oratio sit negativa; & dictio, *nisi*, etiam quando conjungitur negationi, non affirmat. Ut tenent multi, quos retuli *l. 1. de matrim. disp. 19. n. 5.* Secundò, in fine illius decreti concluditur sic: *Ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo Romanorum Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur*. Et cum sit clausula in fine posita, refertur ad omnia præcedentia. Ut communiter observant Doctores *c. Secundo requiris, de appellation.* Atabsque dubio dicendum est, Episcopo competere approbare in sua diœcesi reliquias sancti ab Ecclesia canonizati, & eo approbante tamquam veras, & ad illud sanctum pertinentes, posse absolutè adorari. Constat ex prædicto Tridentini decreto. Nam etsi dictio, *nisi*, quando negationi adjungitur, non affirmet in promissionibus, & contractibus; at in reliquis aliis rebus affirmat. Ut probavi *lib. 1. de matrim. disp. 19. n. 3. & 5.* Præterea, quia etiam affirmat, si aliquid postea addatur affirmativè, aut ex materia subjecta subintellectum. Ut benè docet *Covarr. 4. decret. 2. p. c. 4. §. 1. n. 8.* At in prædicto decreto statim subjungitur forma, qua uti debet Episcopus in reliquiis approbandis; & subinde conceditur ei *ibi* potestas approbandi reliquias. Nec obstat etiam clausulam in fine positam referri ad omnia præcedentia. Quia id verum habet, ubi in omnibus præcedentibus eadem ratio invenitur. Ut probavi *lib. 8. de matrim. disp. 16. in fine.* Quod hic minimè contingit; nam priùs concesserat facultatem approbandi reliquias, quas antiquitas approbarat, etsi inventione novæ sint. Postea verò reservat Pontifici non probata vetustate, sed nova, & inusitata, in quibus maxima errorum pericula versantur. Nec obstat etiam decisio *d. c. finalis*, quia, ut dixi *n. 10.* loquitur de sancto non canonizato; at decretum Tridentini loquitur de reliquiis sancti canonizati. Et ita hanc partem docent *Azor. to. 1. lib. 9. instit. moral. c. 8. q. 8. Suarez 1. tom. in 3. p. qu. 24. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. Sed quæret aliquis, Philiarchus de offic. sacerd. tomo 1. p. 2. l. 3. c. 9. ad finem*. Potestque Episcopus extra suam diœcesim existens absque aliqua Episcopi diœcesis, in qua tunc est, licentia, eam approbationem facere est licentiam dare, ut in sua diœcesi publicè collocentur venerandæ. Quia cum jurisdictio hæc non sit inter partes invitas exercenda, non est contentiosa, sed voluntaria. Juxta à nobis tradita *l. 3. de matrimon. disputat. 19. num. 7.* At jurisdictio, quæ voluntaria est, potest ubique absque alicujus licentia exerceri. Ut *ibi* probavi *n. 8.*

15 Tenetur autem Episcopus ad hanc reliquiarum approbationem faciendam, adhibere in consilium Theologos, & alios pios viros. Ut expressè deciditur in prædicto Tridentini decreto; at ipsorum sententia audita, solius Episcopi est decisio. Quippe *Tridentinum* tantùm petit, ut eos in consilium adhibeat. At ubi solum alicujus consilium petitur, non est necesse illud sequi, nec consultus habet suffragium decisivum. Ut probavi *lib. 1. de matr. disp. 34. n. 24.*

16 Quòd si gravis aliqua quæstio suboriatur, est cogendum Concilium Provinciale, ejusque sententia expectanda, antequam Episcopus controversiam illam dirimat. Quare tunc decisio non erit solius Episcopi, sed Concilii Provincialis. Quia *Tridentinum* non petit consilium Concilii Provincialis: ut petiit Theologorum; sed sententiam. Hanc autem constituet major pars suffragiorum ex iis, qui suffragium desivum in Concilio Provinciali habent. Quia constitutum à majori parte Concilii dicitur ab ipso Concilio constitutum, *cap. Apostolica d. 56. c. Cum inter canonicos, in princip. de elect. l. Quod major, ff. ad municipalem.* Nec sat esset, si Metropolitanus, & omnes habentes suffragium in Concilio Provinciali, sententiam suam seorsum dicerent, & non congregati in forma Concilii. Quia *Tridentinum* expressè dicit sic: *Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expecter*. Atque ita non solùm voluit, ut illi sententiam suam explicarent, sed ut in Concilium Provinciale coacti id efficerent. Ita, quia quoties Concilii, aut alicujus communitatis suffragia petuntur oportet habentes suffragia in unum locum publicum convenire solemniter, nec alias sententia Concilii, & illius communitatis, sed singulorum dicetur, *l. Aliud, §. Refertur*, ibi: *Publicè, ff. de regulis juris, c. in Genes. de elect. Ubi Gloss. verb. Publicè, Bart. l. Omnes populi, n. 18. & 19. ff. de just. & jur.*

17 Quòd si dubites, qualiter soleat collocari in altari Crux variis reliquiis ornata, suisque capsulis miro ordine, & artificio inclusis; cum tamen reliquiæ illæ non sint ab Episcopo approbatæ? Respondeo reliquias tunc non exponi propter se, & ut adorentur, sed ad solum Crucis ornatum, & ita earum non habetur ratio, ut Ordinarii approbatio desideretur; qualis desideraretur, si propter se exponerentur. Quod probant verba Jurisconsulti, *l. Etsi non sunt 21. §. Perveniamus, ff. de auro, & argento legato. Semper cum quærimus quid cui cedat; illud spectamus, quid cujus rei ornandæ causa adhibeatur, ut accessio cedat principali*. Unde *Bart. ibi n. 1.* & Doctores colligunt, cum unum est propter aliud, id solum, propter quod est, considerari.

18 Quando verò reliquiæ sunt legitimè approbatæ Bulla Apostolica, aut testimonio diœcesis Episcopi, à qua transferuntur in aliam diœcesim, non est Episcopi diœcesis earum veritatem examinare; quia jam legitimè comprobata est. Sed examinare, an sint eæ reliquiæ, quæ in litteris Apostolicis, aut testimonio Episcopi continentur, ut sic det licentiam publicè eas collocandi in sua diœcesi. Quare tunc non tenetur formam traditam in eo Tridentini decreto servare, sed nemine consulto potest eos titulos examinare, quippe Tridentini decre-

decretum non in hoc casu loquitur, sed quando reliquiæ noviter repertæ approbandæ sunt. Ut ex ipso contextu constat.

19 Tandem, quando debita præmissa diligentia, res manet anceps, an eæ reliquiæ sint alicujus sancti, abstinendum est à cultu. Ut benè docet *Armill. verb. Canonizatio, nu. 2. & Suarez 1. tom. in 3. p. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. At verò ut reliquiæ*. Qui benè addit, eas tunc non tenendas esse, sed propter dubium servandas esse separatim in loco decente.

20 Quarta difficultas est. An reliquias collo suspensas gestare licet; ac sit speciale peccatum continendum fornicari, aliudve peccatum committere gestando? Sed de hoc diximus *c. 40. nu. 27. & 28.* Et qualis culpa sit fallsas reliquias proponere, diximus *c. 27. n. 9.*

21 Quinta difficultas est. An reliquiæ possint extra capsam ostendi? Breviter dic antiquas minimè posse extra capsam ostendi. Sic enim gravibus verbis præcipitur *c. fin. de reliq. & vener. sanct.* & redditur ratio his verbis: *Ne in posterum detrahatur*. Quam latiùs *ibi* explicat *Abbas statim in princ.* unde alii desumpserunt. Quia cum ossa vetustate consumpta sint, carneque spoliata, si extra capsam ostenderentur, ansam detrahendi rudiores sumerent, existimandique sanctorum ossa non esse; & si illorum essent, fore ut non ita consumerentur.

22 Sexta difficultas est. Qualiter intedicatur sanctorum reliquias venales, vel causa quæstus exponere? In *c. fin. de reliq. & vener. sanctor.* sic dicitur: *Nec exponantur venales*. Et *Trident. sess. 25. in princ. in decreto de invoc. vener. & reliq. sanct.* sic dicitur: *Ita reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur*. Et quidem si sanctorum reliquiæ venderentur, apertissima esset simonia. Quia pretio æstimatur res spiritualis, & sacra. Quod omnes fatentur. Excipe tamen nisi reliquiæ essent apud infideles. Quia tunc non sacrum, quod est in reliquiis, emeretur: sed pretio dato redimeretur vexatio, qua fideles vexant retinendo injustè reliquias illas. Ita *Philiarc. de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. l. 3. c. 9. ad finem, Ugolin. de simonia, tabulæ 1. c. 38. n. 5.* Difficultas tamen est, an ille textus prohibeat amplius, quàm venditionem hanc. Quidam censent non solam veram venditionem interdici, qua deducto pretio in pactum reliquiæ ostenduntur; sed etiam, quando nullo pacto inito exponuntur passim causa quæstus, ut largiores eleemosynæ offerantur. Quippe hoc est quædam larga venditio. Ita docent *Abbas eo c. fin. statim in princip. notab. 1. Angel. verbo Reliquiæ, in initio, & ibi Sylv. q. 1. Ugolin. d. c. 38. in fine, Azor. to. 1. l. 9. inst. moral. c. 8. q. 7. Graffis 2. p. decis. l. 2. c. 14. num. 7.* Quod *l. 9. inst. moral. c. 8. q. 7. Graffis 2. p. decis. l. 2. c. 14. num. 7.* Quod quidem limitant, quando principaliter ob majores has eleemosynas reliquiæ ostenderentur; secùs quando esset finis mimosynas reliquiæ ostenderentur; secùs quando esset finis principalis. Ita *Armill. verb. Reliquia, n. 1. & ibi Tab. in init. Navarr. summ. Lat. c. 17. n. 169. vers. 62. Philiarc.* proximè alleg. Atque idem videntur sentire *Joann. Andr. eo c. fin. n. 2. Ant. n. 4. Card. n. 2. Anchar. num. 1.* dicunt enim duplicem venditionem prohiberi. Prior est, cum verè venduntur. Posterior, cum extra capsam ostenduntur causa largiores acquirendi eleemosynas. Sed existimo solam reliquiarum venditionem simoniacam interdici, quæ est, quando pretio in pactum deducto ostenduntur, aut venumdantur. Quia *c. fin.* iis solis verbis utitur, ne exponantur venales. Et Tridentinum nil innovat, sed jubet turpem, ac interdictum quæstum eliminari. Atque ita *Gloss. eo c. fin. verb. Venales, & ibi Hostiens. in initio*, reddunt rationem, eò quòd pretio æstimari nequeunt absque simonia. Quare DD. qui limitant, quando finis principalis est acquisitio eleemosynarum, innituntur ei fundamento, quòd simoniacum sit exercere spiritualia propter stipendium, tamquam ob finem principalem. Quæ communis sententia est. At ego existimo non esse simoniam, eò quòd finis principalis sit lucrum temporale, sed tantùm, quando id intenditur tamquam pretium rei spiritualis. Quia non est emere, vel vendere, quando non intenditur lucrum tamquam pretium, sed tamquam debitum sustentationis stipendium, vel tamquam eleemosyna gratis oblata. Quod inter alios docet optimè *Sot. l. 9. de just. q. 6. art. 2. ad fin. corpor.* Et ideò credo non interdici *ibi* reliquiarum ostensionem, etiamsi finis principalis sit acquisitio largiorum eleemosynarum, dummodo eæ non deducantur in pactum, nec intendantur tamquam ejus ostensionis pretium; sed tamquam eleemosynæ gratis, & ex reliquiarum devotione oblatæ. Quia hoc principaliter intendere, non est reliquias pretio æstimare, aut venales exponere. Imò nec esset mortale, sed solùm veniale sic intendere principaliter eas eleemosynas. Quia est sola pravæ ordinationis ad finem culpa, quæ quando finis non est mortalis, solam culpam venialem constituit. Ut benè docet *Cajet. 2. 2. qu. 148. art. 2. versic. Sed occurrit hic*. Et ideò *l. 1. c. 3. n. 1.* diximus exercere spiritualia ob vanam gloriam non esse mortale.

23 Septima difficultas est. An liceat reliquias furtivè subtrahere, saltem ut honorabiliùs collocentur? Certum est id non licere, sed esse furtum sacrilegum. Quia est rei sacræ invito domino ablatio. Et ita docent *D. Anton. 3. p. tit. 12. cap. 8. in fin. Sylv. verb. Reliquiæ, q. 2. & ibi Ang. n. 2. Armill. n. 2. Tab. in fin. Sylv. verb. Reliquiæ, q. 2. & ibi Ang. n. 2. Armill. n. 2. Tab. n. 3. Azor. tom. 1. inst. moral. c. 8. q. 9. Philiarc. de officio sacerd. tom. 1. p. 2. l. 3. c. 9. ad fin.* Qui benè hoc limitat, nisi essent apud infideles. Quia sunt injusti possessores. Limitat etiam *Azor.* nisi furripiatur auctoritate ejus præfecti Ecclesiastici, cui locus sacer, & reliquiarum custodia commissa sunt. Et probat ex *c. Quisquis inventus, vers. Si quis domum 17. qu. 4.* Cæterùm hæc limitatio non placet. Quia is, cujus curæ custodia reliquiarum commissa est, nullam reliquiarum administrationem habet, sed meram custodiam; ac proinde ejus licentia non excusabit à furto. Sicut nec licentia custodis vineæ excusabit à furto. Nec is textus oppositum probat; sed solùm non incurri pœnam in eo textu statutam. Quia (ut *n. sequ.* dicemus) illa solos vim loco sacro inferentes comprehendit; non est autem vis, cum custodis illius licentia habetur. Nec parvitas materiæ ad excusandum reliquiarum furtum à mortali, spectanda est penès solam rei ablatæ quantitatem, sed earum dignitas, ac æstimatio penlanda sunt, ac earum raritas. Quia hæc aggravant.

24 Sed dubitabit, an sit aliqua excommunicatio contra reliquiarum fures? *Azor.* ait *tom. 1. l. 9. inst. moral. c. 8. q. 10.* hos incurrere excommunicationem minorem, & nisi priùs satisfecerint, negandam eis communionem; & ter admonitos, nisi satisfecerint, esse excommunicatione majori mulctandos. Probat ex *c. Quisquis inventus, vers. Si quis domum 17. q. 4.* & refert *Sylv.* tacito ejus loco; sed fortè est *verb. Excomm. 4. notab. 2. vers. 2.* ubi ait excommunicationem minorem committere sacrilegos: & refert prædictum textum. Sed optimè *Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 22. sect. 2. n. 9.* ait non constare, an pœna in eo textu contenta sit excommunicatio minor, an sola separatio ab Eucharistiæ usu; subditque eam pœnam videri latam contra fractores Ecclesiarum, & raptores. Sic enim dicitur ibi: *Si quis domum Dei violaverit, &c.* At propriè dicitur violare Ecclesiam, juxta subjectam materiam, qui fores, vel muros ejus infringit, ut furetur. Præterea, esto excommunicatio minor in eo contextu contineretur; jam nullus est casus in usu, in quo hujusmodi excommunicatio incurratur, præter participationem cum excommunicato. Ut benè docent *Cajet. summ. verbo Excommunicatio, in fin. Sot. 4. d. 22. q. 2. art. 3. Nav. summ. c. 27. n. 25. Enrig. lib. 13. de excomm. c. 3. nu. 4. Suar. 5. tom. in 3. p. disp. 24. sect. 5. n. 2.*

25 Tandem si reliquiæ sanctorum sint perpetuæ sepulturæ traditæ, transferri nequeunt absque Summi Pontificis licentia, vel Episcopi, vel sanctæ synodi, nisi necessitas imminet, ut incendii, &c. Quia tunc sat est auctoritas Præsidis provinciæ. Constat ex *c. Corpora de consecr. d. 1. & ex l. 1. C. de reliq. & sumpt. fun.* At si perpetuæ sepulturæ nondum traditæ sint, benè possunt transferri sine alicujus auctoritate ad alium locum religiosum, *l. Si nec dum, C. eodem titulo*. Et docent *Gloss. dicto cap. Corpora, verb. Principis Ugo, & Turrecr. ibi D. Anton. 3. part. tit. 12. cap. 8. in fin. Angel. verb. Reliquia, num. 3. & ibi Sylvester quæst. 3. Tabiena, nu. 4. Armilla num. 3.*

26 Octava difficultas est. An clericis in minoribus ordinibus constitutis liceat sanctorum reliquias, tangere, contrectareve; ac vasa sacra, in quibus eæ continentur, in processionibus portare? Circa primùm *D. Greg. l. 3. Epistolarum Epistola 30.* ait intollerabile esse, ac sacrilegum, si sanctorum corpora quispiam tangere voluerit. Sed *Azor. tom. 1. l. 9. inst. moral. c. 9. qu. 5.* ait locutum D. Gregorium de iis temporibus, in quibus nulli etiam in sacris constituto licebat sanctorum corpora, ossa, vel particulas eorum è loco amovere, transferre, gestare; at jam usu introductum esse ut transferantur, ac gestentur è collo pendentes. Quare ait non gravis criminis condemnandum clericum, vel laicum, qui eas sacrarum reliquiarum minutias, quas apud se tenet, piè, & religiosè tangit, aut in capsas includit. Secùs si irreligiosè, & per contemptum. Sed ego addo, nec priori modo tangere etiam laicum, esse culpam venialem. Quod nullibi id interdici inveniam. Circa secundum in *Concilio Bracharensi 1. c. 28.* & refertur *c. Non liceat, el. 1. dist. 23.* sic dicitur: *Non liceat levitibus sacra vasa altaris vasa portare*. Ubi *gloss. verb. Portare, & Hugo, & Archid. ibi n. unico*, explicant in supplicationibus publicis, quas Processiones vocant; & dicunt vocari vasa sacra ea, in quibus & reliquiæ continentur. Atque *Palud. 4. d. 13. q. 1. n. 15. D. Anton. 3. tit. 14. c. 12. §. 4. Sylv. verb. Eucharistia 3. q. 4. Tabiena verb. Communicare qu. 51.* dicunt laicis non licere ea reliquiarum vasa tangere; sed solis acolythis. At melius *Turrecr. c. Non liceat, nu. unico, & Graffi. 2. p. decis. l. 2. c. 14. n. 8.* dicunt nomine vasorum sacrorum intelligi calicem, patenam. Quia hæc sola dicuntur sacra altaris vasa. Item dicunt, esto esset ea prohibitio, jam usu receptum esse, ut acolythi sacra reliquiarum vasa portent. Imò credo nullam esse culpam, si laici reverenter ea portent, aut contingant. Quòd nullam reperiam prohibitionem. Sicut cruces, & imagines tangunt, easque portant.

27 Tandem de reliquiis, quas agnos Dei appellant, dubitatur quid circa illas non liceat? Dico dico primò, non licere clericis, qui subdiaconi non sunt, tangere illos Dei agnos. Quia non sola oratione Pontificia sunt sacri ac benedicti, sed oleo atiam sacro, & chrismate instar calicum consecrantur. Quare sicut hac ratione solis subdiaconis fas est tangere calices, ita & agnos Dei. Ita *Azor. tom. 1. lib. 9. instit. moral. c. 6. q. 3.* Qui benè addit laicos non graviter peccaturos, si absque contemptu tangant. Quod & confirmari potest, quia *Sotus d. 13. q. 2. art. 3. ad 3.* quem multi Neoterici sequuntur, dicit etiam fœminas tangere corporalia, & calices absque contemptu, aut nullam esse culpam, aut levissimam venialem; & canones id prohibentes intelligi de consilio. Quare & agnos Dei tangere, à fortiori non excedet culpam venialem. Imò credo nullam esse culpam, eò quòd usus obtinuerit, ut à laicis etiam fœminis tangantur.

28 Secundò dico, sub excommunicatione latæ sententiæ interdictam esse quibuscumque quacumque dignitate præditis,

tis, agnos Dei depingere, inficere, minio notare, vel aurum, vel colorem aliquem imponere, aut quidquam aliud superinducere; aut depingi, aut miniari facere, aut illos venales proponere, seu tenere; sed eos albos, & mundos, decenter, ac reverenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipitur. Sic statuit Greg. XIII. in quodam motu proprio incipiente, *Omni certè studio*. Quem refert *Azor. tom. 1. l. 9. inst. moral. c. 9. q. 1.* Postquam tamen in excommunicationem incursum est eos depingendo, non videtur interdictum eos depictos sic tenere. Quia non ob id destrui debent. Et dum interdicitur in eo motu proprio eos agnos Dei tenere, id infinitivum conjungitur cum dictione, *venales*; ut constat ex contextu. Itaque interdicitur illos venales proponere, aut tenere. Dum autem concludit Pontifex illos habendos, deferendos, & custodiendos albos, & mundos, tantùm est dicere non esse depingendos, sed ut benedicuntur à Pontifice, custodiendos esse. At ubi peccando depicti sunt, non interdicit eos retineri.

29 Tandem dum in eo motu proprio interdicitur agnos Dei veniales exponi, intelligitur de venditione simoniaca, qualis est, si ratione benedictionis vendantur, aut pluris ratione illius, Secùs si ratione solius materiæ, ex qua conficiuntur, & impensarum in eis conficiendis, & Roma portandis vendantur. Quia nil invenio in eo motu proprio continens specialem prohibitionem venditionis, quæ aliàs non erat simoniaca, sed solam vendentibus excommunicationem indicit. Quamvis *Azor. tom. 1. lib. 9. instit. moral. cap. 9. qu. 4.* dicat prohiberi in eo motu proprio venditionem etiam ratione materiæ, nisi ad usus sacros vendantur. Sed non video ubi id Pontifex prohibeat.

Finis Primæ Partis Summæ Thomæ Sanchez.

LIBER

LIBER TERTIUS
DE SECUNDO
DECALOGI PRÆCEPTO.
DE JURAMENTO.

PROOEMIUM.

Tractatus de juramento *valde assimilis est tractatui* de voto. *Quare multa in hoc petenda sunt ex* libro sequenti *in tractatu* de voto. *Primò ergo de natura juramenti, ac verbis ipsum constituentibus; de circumstantiis, ut licitè emittatur; de jurandi consuetudine, juramentis æquivocis; qualiter liceat exigere juramentum à malè juraturo, disputabimus. Secundo loco de obligatione orta ex jurejurando, ubi de variorum juramentorum obligatione tractabimus, & qualiter ejus obligatio transeat ad hæredes, vel successores. Ultimo loco, qualiter juramenti obligatio cesset per relaxationem, remissionem partis, cui juratur, irritationem, commutationemve.*

CAPUT I.

De juramento definitione; & divisione.

SUMMARIUM.

Explicatur definitio juramenti, numero 1.
An ad juramentum exigantur verba, aut signa? num. 2.
An exigatur tactus alicujus Sacræ scripturæ? Et quando id specialiter petitur in jure, qualiter intelligendum sit? n. 3.
Explicantur varia juramenti divisiones, num. 4. 5. & 8.
An ad juramenti execratorii veritatem, aut falsitatem conferat jurantem credere, fore, ut eo execratio sibi eveniat? n. 6.
Quando juramentum execratorium est falsum, an admittatur duplex culpa, esse jurans crederet id malum sibi eventurum, idve optaret? num. 7.
Alia divisiones juramenti proponuntur, num. 8.
An omnia juramenta sint ejusdem speciei, sirque juramenti qualitas in confessione explicanda? num. 9.

1 JUrare est Deum in testem adducere: *teste D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 1.* ab universis recepto. Atque ita juramentum est invocatio divini nominis in testimonium. Hæc autem invocatio in eo consistit, (ut benè explicat *Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 6. puncto 1.*) ut jurans, quantum in se est, velit, & cupiat Deum manifestare id, quod juramento confirmat, tamquam id, quod est ab ipso Deo scitum, ac verum, & hoc sive in hac vita, sive in altera Deus manifestare velit. Abstrahit enim jurans, & à præsenti vita, & à futura. Differt autem ab oratione, quæ etiam divini nominis invocatio est. Quod per hanc divinum nomen invocetur, gratia petendi ab eo auxilii, tamquam à misericorde, ac omnipotente. At per illud petitur, ut tamquam testis infallibilis testetur jurejurando affirmatum. Diciturque divini nominis invocatio, sive expressè, ut cum per Deum ipsum expressè juratur: sive tacitè, ut cum juratur per creaturas, quatenus in ipsis Deus relucet. Non enim per quamvis creaturam jurans, ipsam in se respicit, ac illam, ut in se est, adducit in testem. Quippe id esset blasphemum. (Ut diximus *lib. præcedenti cap. 32. numero 10.*) Sed jurat per Deum in creaturis educentem: atque ita creaturam in testem vocat tamquam aliquid Dei, seu potiùs Deum, prout in ea creatura elucet. Tunc autem juramus, cum Deum in nostrarum assertionum testem invocamus. Nam concionatores, & alii Sacræ Scripturæ testimonia referentes non jurant, cum Deus sua sponte ea testimonia dederit ad suas veritates afferendas; atque ea referens nil aliud facit, quàm Dei asserta referre. An verò sufficiat ad rationem juramenti, etsi res in se sacra non sit, eam talem existimari, dicemus *c. sequenti n. 5.*

2 Hinc deducitur resolutio ejus quæstionis, an juramentum verba exigat. Et quidem certum est, ut juramentum apud Deum obliget, satis esse internum jurandi consensum, nullis verbis, aut signis expressum. Cum Deus cor, & mentem intueatur. Atque ita tamquam certum tradunt *Azor. tomo 1. lib. 11. instit. moral. cap. 1. quæst. 4. Petrus de Ledesma 2. tom. summæ, tractatu 11. c. 1. dub. 2. Suarez to. 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 1. cap. 1. num. 4.* & omnes Doctores. Sed de obligatione, quo ad forum externum, est dubium, an verba desiderentur, an potiùs signa sufficiant. Et breviter triplicem sententiam referunt *Covarr. de pactis 1. p. in initio num. 4. Et Zavallos in suis quæst. practicis, tota quæst. 406.* Prima asserit verba esse omnino necessaria. Secunda ait idem in valentibus loqui: secùs in non valentibus. Doctores utriusque *ibidem* referunt. Tertia verissima ait verba non exigi, sed sufficere signa jusjurandum indicantia. Quia nec leges, nec canones ad vim jurisjurandi verba requirunt. Quod si quæ jura id indicent, intelligenda sunt ad certiorem jurisjurandi probationem, vel ad manifestiorem mentis probationem. Item quia reliqua pacta, & matrimonia solis nutibus ineuntur, etiam à potentibus loqui, juxta verissimam sententiam, quam defendi *libro secundo de matrimon. disp. 31. numero 5.* Et ita hanc partem tuentur *Covarr.* multos allegans *eo numero 4. Azor. eo cap. 44.* Et alios Doctores adducam *capit. sequenti num. 21.* ubi id magis explicabitur. Idem tenent *Suarez eo l. 1. c. 11. num. 4. 5. & 6. Sayro in clavi regia l. 5. cap. 1. num. 8. 9. & 10.*

3 Secundo deducitur, nec ad jusjurandum desiderari contactum rei alicujus sacræ, ut Crucis, Evangeliorum, &c. Quod ad invocationem Dei in testem, in quo juramenti substantiam consistere probavimus *num. primo*, is contactus minimè petatur. Atque ita latiùs probans, & alios adducens docet *Covarruvias de pactis 1. p. §. primo, numero primo, Zavallos in suis quæst. pract. quæst. 407. numero unic.* Aliquando tamen ad majorem testimonii firmitatem petitur in jure, juramentum tactis Evangeliis præstari, aut aliàs Sacra Scriptura. Qui contactus qualiter intelligendus sit, diximus *libro septimo de matrimonio disp. 108. n. 4.*

4 Rursus juramentum dividi potest tum ex parte veritatis, sive enuntiationis, ad quam confirmandam adhibetur: tum